



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quo fuco conentur Aduersarij monasticis votis patrocinari

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

Iesu Christi, non dissolutionis. Plurimi etiam Abbates tanta imperitia vite & actionum diuinarum laborant, vt veris Ecclesiis Christi non sit licitum ipsorum testimonia consensumque in ordinatione ad ministerium Ecclesiasticum recipere, taceo, multum de eis querere.

Quamobrem cum in eum abusum Monasteria prolapsa sint, certè nihil aliud à nobis requiritur in tanta dissipatione, dissolutione & peruersione monastica vitæ, sicut etiam, proh dolor! totius Clericatus, quam vt vndecunque possumus, tam ex monasteriis quam aliunde vbiunque reperiri queunt, colligamus, & ad ministerium Ecclesiæ ordinemus, quicumque ad id idonei iudicantur. In eo enim summa rerum posita est, vt Ecclesiæ per verè Christianos & idoneos ministros administrantur, quorum hoc tempore horrenda inopia est: cui certè quàm citissimè optimèque fieri potest, subueniri debet.

Subnectunt Aduersarij hoc loco Monachos qui ad Ecclesiæ ministerium ordinantur, non debere à priori proposito recedere.

Quod eò referunt, vt eiusmodi Monachi nihilominus priora vota sua obseruent. Quod verum est, quatenus ea piè & ad prouectum ministerij Ecclesiastici obseruari possunt. Verum de votis Monasticis proprium articulum qui proximè sequitur, posuerunt, in quo latiùs ad obiectionem istam à nobis respondebitur.

### De votis Monasticis.

*Quo fucococontentur Aduersarij Monasticis votis patrocinari.*

#### CAP. CXXXIX.



ONANTUR Aduersarij & scripturis & autoritate S. Patrum tueri, imò ex S. Scripturis se probasse prædicant, vota quæ substantialia vocant, vt castitatis seu cœlibatus, obedientiæ item & paupertatis voluntariæ, hoc est abdicationis omnis proprii, traditionisque omnium priorum temporalium bonorum in manus Præpositorum in monasteriis.

Primum igitur videamus, quibus Scripturis, & quàm firmiter ea comprobant: Deinde causas assignemus, propter quas proposuimus ea abrogare.

*Quo fucococontentur Aduersarij Monastica vota probare.*

SCRIBUNT Dominum dixisse, Matth. 19. Sunt Eunuchi qui seipfos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Item ad diuitem iuuenem, Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in regno cœlorum, & veniens sequere me. Quare castitatem, paupertatem & obedientiam vouere rem esse diuinam.

Hic perpende quæso, Christiane Lector, qualis ista connexio sit, Dominus dixit, sunt quidam Eunuchi, qui à coniugio abstinent propter

regnum cœlorum, Ergo pium ac sanctum est nuptias in perpetuum ab-  
iurare, & qui semel id fecit, eum nunquam amplius ad illas admitten-  
dum esse. Quid inest in his verbis Domini de votis? An seipsum Ca-  
strare significat, Abiurare matrimonium? Citant D. Basilium, inter-  
pretantem hunc locum ut aiunt, de votis. Verum in eis ne verbo qui-  
dem mentionem ibi facit.

Sunt sanè quidam, qui hoc donum à Domino acceperunt, ut castè ex-  
tra matrimonium viuere queant, & quos Dominus cœlibes facit: at non  
idcirco tenentur vouere cœlibatum. Non enim per votum suum, sed so-  
lummodo per donum Dei tales manent. Quid igitur est in his verbis,  
ex quo Cœlibatus votum inferri possit? Dicitur quoque Pauli 1. Cor. 7.  
producunt, quod sic habet, Qui statuit in corde suo firmus, non habens  
necessitatem, potestatem autè habens voluntatis suæ, & hoc decreuit in  
corde suo, seruare virginitatem suam, benè facit.

At quid hæc verba ad votum perpetui Cœlibatus? Pater qui agnoscit  
id esse è re filię suæ, benè facit, si eam seruet virginem. Verum quomo-  
do sequitur inde, quod utile sit huic filię, perpetuam castimoniam &  
Cœlibatum vouere? Quis etiam Pater benè fecit, abstinendo filiam  
suam à coniugio, nisi tantummodo qui utilius ad pietatem filię suę fore  
animaduertit, si in Cœlibatu maneat, quam si connubio iungere-  
tur? Omnis enim potestas solum ad ædificationem à Deo concessa  
est. Quamobrem quicumque pater decreuit in corde suo filiam suam  
virginem seruare, postea verò deprehendit utilius ei esse, si in Sacro cõ-  
iugio uiuat, is tenetur operam dare, ut ea quàm citissimè matrimonium  
contrahat. Sic igitur ex hoc potius sequitur, filiam non debere voto  
Cœlibatus se obstringere, sed tum vocationi diuine, tum amicorũ suo-  
rum consilio semetipsam liberam reseruare. Tertio producunt aliud  
dictum Pauli, 1. Timoth. 5. quod est, Iuniores viduas deuota; cùm enim  
lasciuire cœperint nubere volunt, habentes damnationem quia pri-  
mam fidem irritam fecerunt.

Primam fidem, cuius in hoc loco Paulus meminit, referunt ad pri-  
mum votum. Sed positum est, Cùm lasciuire cœperint aduersus Christũ,  
quod cum viduę facere incœperint, primam fidem in Baptismate datam  
frangunt. Apostolus quoque post hæc verba, ad confirmationem istius  
causæ, propter quam vult iuniores viduas nubere scribit, iam enim nõ-  
nullæ deflexerunt, secutę Sathanam. Et hæc sunt, quæ primam fidem Do-  
mino in Baptismate datam, violarunt.

At ponamus, primam fidem hoc loco pro voto castitatis intelligen-  
dã esse, quo sensu plurimi S. Patrũ hæc verba Pauli acceperunt, quid ta-  
men adhuc ex istis verbis colligi potest, ad probandũ quod pium ac bo-  
num Cœnugiũ abiurare: & quod is qui semel id fecit, deinceps nunquã  
ad coniugium admitti debeat? Imò contrariũ ex eis efficitur, præsertim  
quo ad iuniores fœminas. Apostolus enim eandem ob causam, quod  
aliquę primam fidem, de qua loquitur violarant, præcipit Timotheo, ut  
iuniores viduas ad statũ viduitatis non assumat, nec eos voto Cœlibatus  
se se obstringere sinat. Volo igitur, inquit, iuniores viduas ad statum  
viduitatis

viduitatis non assumat, nec eas voto Cœlibatus sese obstringere sinat, Volo igitur, inquit, iuniores viduas nubere, ne in iudicium violatæ fidei incurrant, cum contra Christum lasciuire cœperint.

Ex his obuiū vniciq. Christiano est, adductas sentētiās nihil aliud efficere, quàm quod Dominus quibusdā hoc donū largiatur, vt à coniugio propter regnū cœlorum abstineant: non autem largiatur omnibus. Qui potest capere, capiat. Item quod benè faciant hi, qui in cœlibatu manent, & suos quoque in eo conseruant, si donum castitatis à Domino acceperint. et contra quod malè faciant, qui ad hoc genus vitæ se applicare volunt, cum ad id non sint à Domino vocati nec dati. Tales ergo ab hoc statu dehortādos, nec in eum suscipiendos esse. Hęc sunt quæ in citatis locis continentur: at ne minimum quidem de voto cœlibatus, quin potius, vt antea dictum est, contrarium. Cùm enim testentur, non omnibus datum esse, vt extra matrimonium Domino ritè inseruiant, item quod hac in parte non quilibet proprię voluntatis potestatem habeat: imò nonnullis eò vergat, vt incidant in iudicium calumniatoris, primamque fidem suam frangant, ac sequantur Sathanam: nemo item sine peculiari reuelatione cognoscere possit, quandiu Deus hoc donū sibi permittere velit, vt castè extra matrimoniū illi seruiat, sequitur. Neminè debere perpetui cœlibatus voto se obstringere.

Iam quàm firmiter consistunt Aduersariorum probationes veterum perpetuæ castitatis, tam firmiter tenent etiam illæ, quibus vtuntur ad confirmanda vota obedientiæ & paupertatis voluntariæ. Dicit quidem Dominus ad adolescentē diuitē, qui iactitabat de se, quod omnia mādāta Dei à iuuentute sua obseruasset, à quo tamen adhuc longissimè aberat. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c.

At quid habetur in his verbis de votis monasticis, obedientiæ & paupertatis? Volebat Dominus hoc responso isti adolescētī & aliis demonstrare, quod ne primum quidem præceptum adhuc obseruare posset, nempe vt Deo crederet, & pro optimo agnosceret, quod ei Dominus, tanquam bonus & diuinus Magister, indicabat & præcipiebat, videlicet vt omnia venderet, darētque pauperibus, sequeretur ipsum, & prædicaret Euangelium, sicut reliqui Apostoli faciebant. Ad talem Apostolatū non quemlibet vocat Dominus.

*τέλει*, hoc est perfecti, inter quos beatus Apostolus Paulus sapientiam Euangelij locutus est, 1. Cor. 2. & qui eiusdem cum ipso erant sententię. Phil. 3. nō debuerunt omnes tēporalia bona sua diuendere, dare pauperibus, & ministerium Apostolatus suscipere *τελειος*, hoc est, perfectus, vel potius qui verè finalis vitæ conseruationem adeptus est, iuxta gratiam Dei est vnusquisque, qui se Deo in Christo Domino nostro totum tradidit, ad sequendum quocunque ipse vocauerit, & omni eius voluntati obtemperandum. Si opera & actiones intueamur, nemo perfectus est. Et quamuis adolescens iste ministerium Apostolatus aggressus fuisset, quemadmodum Dominus ab eo requirebat, non tamen idcirco adhuc in hoc facto suo *τελειος*, hoc est perfectus, extremūque finem suum assecutus fuisset. Et quoniam

Dominus non omnes ad talem Apostolatam, & domesticarum sollicitudinum abiectiōem vocat: neque etiam bona sua vendere, ac velle Euangelium prædicare in vnoquoque opus perfectionis est. Quamobrè quod Dominus huic adolescenti dicit, non est opus omnium perfectorum, sed eorum tantum, quos Dominum ad eiusmodi conditionem & opus vocat.

Et quamuis omnibus Christianis opus perfectionis esset, quod tamè fieri nequit, propterea quod Dominus aliquos esse vult, qui sua dona tēporaliū bonorū administrant, aliisque diltribuant: adhuc tamè dictū istud nihil faceret pro nostri temporis monachorum paupertatis & obedientiæ votis. Illi enim non tantum non vendunt omnia, & dant pauperibus: verumetiam decimas aliæque Ecclesiastica bona pro pauperibus donata & fundata, ad se trahunt. Et quando quis eorum se confortio adiungit, mallent vt sibi potius, cū alioquin diuitiis abundēt, omnia bona sua traderent, quàm cuius alteri, quantumuis paupertate & egestate premarer. Ad hæc non sequuntur Dominum, non hinc inde ad prædicandum Euangelium cum eo proficiscuntur. Præter hæc omnia, penitus non valet ista conclusio: Hoc est opus per se bonum, & quibusdam à Domino mandatum, vel in aliquibus laudi datum. Ergo quicumque ad id se voto obstringit, is gratum acceptūque Deo cultum præstat.

Sic igitur vides, Christiane Lector, Aduersarios ne vnum quidem fundamentum sacre Scripturæ pro monasticis suis votis protulisse.

---

*Fundamentum & ratio ex Scriptura, quare vota monastica dimiserimus.*

C A P. C X L.



**N**O B I S vt in supremo Dicecesi Coloniensi animarum Curatori propriè conuenit, vt omnibus nostræ curæ commendatis, omnia quæ ad pietatis propagationē ipsis vtilia sunt, promoueamus: contra quicquid vllō modo ei obstare & officere potest, auertamus ac præcaueamus. Hoc demum est pascere oves Christi.

Iam verò ad pietatem promouendam facit, vt quilibet ad omnem voluntatem ac placitum Dei liberum se seruet, nullūque peccati laqueum sibi ipsi iniiciat. Si te offendit, inquit Dominus, manus tua vel pes tuus, amputa eum, &c. Qui amat pericula, perit in eis, ait Syrach. Sic periculosum est pietati (repugnat enim verbo Dei) in humanam seruitutem se tradere, cum à Domino in libertatem assertus sit. Paulus scribit, Precio empti fuistis, nolite fieri serui hominum, 1. Cor. 7. In libertate qua vos liberos fecit Christus, stete, neque subiiciatis vos rursus iugo seruitutis. Ad eundem modum repugnat pietati, si quis diuinam vocationem suam secundum humanum beneplacitum mutat. Verbum Dei